

Raphael Eglin Johann Dössel


**Orthodoxa Duplicis Loci Paulini ekegesis, seu potius ... , Hebr. II. I. Ephes. 3. 12.
De Fide Iustificante, Quaenam Illa, Quidque Sit, Et Quomodo In Christo
Habeamus Libertatem, et Accessum in Persuasione per fidem ipsius? Ubi nobilis
illa, diuq[ue] & multum vexata Quaestio enodate explicatur: An Pepoithsis Sit
Fidei Iustificantis pars essentialis, an vero effectum?**

Marpurgi: Saurius, 1617

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574940>

Druck Freier  Zugang





95

52^b.6.



Ja 1092 (95.)

Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione pretemporaria Academiae Genensis cum eo
descenderet idem Ditherrus.
3. Orationes inauourales Academiae Ludunensis Patavoru.
4. Polyvardi. Walai. Anno. 1620.
5. Thysii.
6. Hommii.
7. Sinapij.
8. Ravi Pancognia Orientaliby linguis Trajecti ditta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostoch. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homulia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpij de Vinbu Liberi Arbitrii ep II. cor III, 4. s. 1645.
15. Samhauen Domini gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capiti Nad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribu testibz in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zacharianae.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.

49. P. Petri Roeshii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.
Grosae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.

1. 8.
2. 3.
3. 11.
4. 24.
5. 29.
6. 2.
7. 2.
8. 38.
9. 24.
10. 39.
11. 4.
12. 4.
13. 4.
14. 4.
15. 4.
16. 4.
17. 4.
18. 4.
19. 4.
20. 4.
21. 4.
22. 4.
23. 4.
24. 4.
25. 4.
26. 4.
27. 4.
28. 4.
29. 4.
30. 4.
31. 4.
32. 4.
33. 4.
34. 4.
35. 4.
36. 4.
37. 4.
38. 4.
39. 4.
40. 4.
41. 4.
42. 4.
43. 4.
44. 4.
45. 4.
46. 4.
47. 4.
48. 4.
49. 4.
50. 4.

A - Q

16

35

30

A - C

20

40

A - B

-

A - B

35

B - A

36

A - C

00

A - C

00

A - B

00

A - B

00

A - B

00

A - B

00

A - B

00

40

128

72

A - B

00

A - B

00

19

16

32

A - G

00

A - B

00

A - C

00

A - B

00

A - C

00

A - C

00

B - G

00

A - D

A - D

A - C

A - C

A - C

65

A - C

48

A - C

16

A - C

A - C

A - C

A - B

A - B

51

24

24

20

ORTHO DOXA

Duplicis Loci Paulini *ἐνδεοῖς, seu potius ἐνδύνοῖς,*
Hebr. II. 1. Ephes. 3. 12.

DE

FIDE JUSTIFICANTE,
QUÆNAM ILLA, QUIDQUE SIT,
ET QUOMODO IN CHRISTO HABEA-
MUS LIBERTATEM, ET ACCESSUM IN PER-
suasione per fidem ipsius? Ubi nobilis illa, diu q̄; & multum
vexata Quæstio enodatè explicatur:

ΑΝ ΠΕΠΟΙΘΗΣΙΣ ΣΙΤ ΦΙΔΕΙ ΙΥΣΤΙΦΙ-
cantis pars essentialis, an verò effectum?

IN ILLUSTRISSIMA MAURITIANA
ACADEMIA MARPURGI AD DISPVTAN-
dum publicè proposita;

AUTHORE, ET PRÆSIDE,
RAPHAELE EGLINO ICONIO,
S. Theol. D. & Professore ordinario,

RESPONDENTE,
M. JOHANNÉ DOESSELIO,
Stammensi Hesso.



MARPURGI,
Apud Jonam Saurium, Anno Christi, 1617.



AD REVERENDISSIMUM, ET ILLUSTRIS-
simum Hessia Principem,

DN. OTTONEM, &c.

PRINCIPEM, AC DOMINUM SUUM
CLEMENTISSIMUM,

Hendecasyllabum.

PRINCEPS optime Principum bonorum,
Proles MAURITII Parentis, OTTO,
Magni MAURITII propago magna,

Eccur Magnanimo Tibi pusilla

Neancumata Musa Doësseli offert?

Magnos magna decent enim, juvantq;

Nec muscas Jovis ales intuetur.

Atqui vel DEUS omnium Deorum

Se demittit ad ima, pervidendi

In terris studio, polisq; sursum,

Quid fiat? Miserum in luto jacentem

Idem sublevat, erigitq; egenum.

Ergo materiam DEUM amulandæ

Præbent quamlibet hac pusilla Vestra

Celsitudini, & invocant Patronam.

Nimirum sale vel DEO litatur.

Et mente innocuâ, fideq; purâ?

Hac cani Tibi Nestoris senectam,

Hac vitam Tibi prosperam precamur.

Reverendissimæ & Illustrissimæ
Excelsitatis Vestrae

humilimus servus,

Raphaël Eglinus, Iconius, D.



Reverendissimo, Illustrissimoq^{ue} Prin-
cipi, ac Domino,

D N. O T T O N I,

HESSIÆ LANDTGRAVIO, COMITI IN

Catzenelbogen, Dietz, Ziegenhain, & Nidda, &c.

REGALIS, ET EXEMPTÆ ECCLESIAE

Hersfeldensis, Administratori Postulato,

Domino meo Clementissimo.

REVERENDISSIME, & Illustrissime Princeps,
Domine Clementissime, pervulgatum, & prole-
tarium quodammodo videtur hoc genus dispu-
tationum esse, quod ferè exercitii causâ suscipi-
tur: quamvis illustrandæ veritati, sæpè etiam
indagandæ, necessarium. Etenim in omni Facultatum genere
præ copia propemodum jam viluit. Quapropter perpauca-
rum pagellarum nuncupatione indignum prorsus videri potest, quod
Reverendissimæ, & Illustrissimæ Celsitudini Vestræ à me inscri-
batur, ac offeratur. Verum enim verò si argumenti gravitas, &
magnitudo in re perdifficili attendatur, non tam numero, quàm
pondere, nec tam mole, quàm visû meretur aestimari, iuxta il-
lud Nazianzeni in Monostichis,

Τὸ μικρὸν ἔ μικρὸν, ὅταν ἐκφέρει μέγα,

Exile, non exile, cùm magnum parit.

Fidem de Fide præsens hæc Disputatio fecerit, brevis illa quidem,

A 2 & pref-

Et pressa, sed in primis ardua, tantiq; momēti, ut nihil aequè ve-
ritatis hostiū in oppugnando hoc argumēto arguat Et redarguat
improbritatem, Et proterviam. Etenim justificantem fidem, quæ
veritatis agnita in Christo Jesu Domino Nostro solidus est assen-
sus, nec tantummodò in mente, sed etiã in corde, ut illã nitamur
verã fiduciã, adversarii in nudam notitiam, Et merã solius in-
tellectricis facultatis assensum non alia de causã transferunt, nisi
ut nihil solidi nobis relinquunt. Itaq; meritò à Venerando, Et
Clarissimo Dn. Præceptore, ac Præside, itur eis obviam: cujus
duorū Paulinorum locorū Expositionē Orthodoxam, seu potius
Vindicias, Reverendiss. Illustrissimæq; Celsitudini Vestre pro-
pterea offero, ut Eidem hasce studii mei Theologici primitias, post
decursum à me hætenus stadium Philosophicū, eã quã par est,
summissione animi consecrem, humilimè rogans, ut eas non gra-
vatè in Clementissimam tutelam suam recipiat. Cùm enim clas-
sibus Illustris Pædagogi Marpurgensis ad triennium iam inser-
vierim, nihil aequè in votis habeo, quàm ut Illustrissimi, Potenti-
ssimiq; Principis ac Domini, Dn. MAURITII, Principis, ac
Domini mei Clementissimi, Gratiostsimiq;, singulari Clementia
Et benignitate cum hisce laboribus scholasticis studium sacrum
mibi conjungere liceat: quod Reverendissimæ, Et Illustrissimæ
Celsitudinis Vestre divino favore, ut consequi possim, etiam atq;
etiam humiliter obsecro: Dominum Jesum apprecatus, ut Su-
cratissimas, Illustrissimasq; Celsitudines Vestras, Ecclesiæ Dei,
totiq; Patriæ, quàm diutissimè conservet incolumes, omniq; fe-
licitatis genere prosperet. Marpurgi, Quadragesimalibus, 1617.

Reverendiss. Illustrissimæq; Celsi-
tudinis Vestre

subjectissimus famulus Joannes Dæssel.



ORTHODOXA
DUPLICIS LOCI PAULINI

ἐκθεσις, seu potius ἐκδικησις, Hebr. II. I.
Ephes. 3. 12.]

DE FIDE JUSTIFICANTE.

THESIS I.



COMMENDATURUS nobis Apostolus Fidem
justificantem, quā Deo placemus in Christo,
partim eam ex objecto vitæ æternæ, in quod
fertur, tanquam in scopum, partim ex certiora-
tione animi, cui tanquā subjecto inhæret, hisce
describit: Ἐστὶ δὲ πίστις ἐλπίζουμένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος ἔ-
βλεπωμένων: *Est autem fides substantia sperandarum, rerum argu-
mentum, siue certificatio, non conspectarum,* Heb. II. I.

2. Per hypostasim nihil aliud hoc loco Apostolus intelligit,
quàm quod paulò antè cap. 10. 34. nuncupavit ὑπαρξιν, hoc est,
substantiam cœlestem, & manentem, quam habemus in nobis;
assumentes videlicet regnum illud, quod concuti nequit, ut est
Heb. 12. 28. quomodo & Scholiastes Græcus accepit, & post
vulgatam versionē interpretatus est Benedictus Arias Montanus.

3. Hæc enim sunt bona illa æterna, quæ speranda fidelibus ob-
iiciuntur, quarum substantia, ut in Evangelio docet ipsa veritas,
neque tineâ, neque erosione corrumpitur, neque à furibus perfo-
dientibus aufertur, Matth. 6. 20. Opponuntur enim hæc dire-
ptioni facultatum terrestrium, dicente Apostolo: *Scientes vos*

A 3 habe-

habere IN VOBIS substantiam meliorem in caelis, & manentem, ibidem.

4. Substantia hæc cœlestis, & manens, proposita & reposita nobis est in D N. N. Jesu Christo, unico Redemptore & Mediatore nostro, in quo non solum omnes promissiones salutis sunt ita, & Amen, 2. Cor. I. 20. Verum etiam omnes thesauri sapientiæ & cognitionis occultati, ut vita nostra cum Christo abscondita sit in Deo. Coloss. 2. 3. & cap. 3. 3.

5. Quando igitur Christus, vita nostra, patefactus fuerit, tum & nos cum eo patefitemus gloriosi: quippe futuri ei similes, cum reportabimus immarcescibilem gloriæ coronam, cum admirandus fiet in fidelibus omnibus, quod fides habita sit testimonio ejus, in illo die, cum videbimus eum sicuti est: interea purificantibus sese, sicut ille purus est, quotquot hanc spem habent, Coloss. 3. 4. I. Pet. 5. 4. I. Johan. 3. 2. 3. 2. Thess. I. 10.

6. Inchoatur autem hæc substantia cœlestis per fidem in nobis in hac vitâ, dicente Apostolo: *Habentes IN NOBIS potiorem substantiam*, tum per renovationem mentis nostræ, tum per efficacem tractum cordis, quo solidâ fiduciâ, & expresso voluntatis assensu Christum amplectimur, inq; promissionibus salutis planè acquiescimus, ut deinceps perspicuum faciemus.

7. Hinc participes facti dicimur Christi, si initium illud hypostaseos tenuerimus firmum usque ad finem, Hebr. 3. 14. Per τὴν ἀρχὴν nihil aliud intelligens, quàm quod alibi τὴν ἀρχὴν πνεύματος vocat, hoc est, primitias Spiritus, ex vi illa indissolubilis vitæ summi Pontificis nostri, quoad plena messis subsequetur, Roman. 8. 23. Hebr. 7. 16.

8. Tum autem tenebimus illud initium ad finem usque firmum, quando non solum Πίγνωσιν τῆς ἀληθείας, id est, cognitionem veritatis in mente accepimus (hoc enim etiam Reprobatorum nonnullis contingere potest, ut videre est, Hebr. 6. 4. & cap. 10. 26.) sed etiam corde tracti immutamur in voluntate, ut solidâ cordis fiduciâ Christum amplectentes obfirmemur Spiritu pro-

tu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, Joh.
6. 44. 2. Cor. I. 22. Ephes. I. 13.

9. Sic enim ad Christum accedentes cum VERO CORDE
in plerophoria fidei, abluti cordibus à conscientia mala, hoc est,
verâ pœnitentiâ cordis ad Deum conversi, non eiiciemur foras,
Heb. 10. 22. Joh. 6. 37. neque peccabimus (nempe totaliter) sed
conservabimus nos ipsos, quippe verè ex Deo geniti, & virtute
Dei custoditi per fidem ad salutem, quæ parata est patefieri tem-
pore ultimo, I. Johan. 5. 18. 20. I. Pet. I. 5.

10. Generalis assensus mentis, qui est in intellectu solo, quo
tantum creditur, quæ in verbo DEI sunt comprehensa, & in com-
mune omnibus promissa, qui recipiunt ea, in sese vera esse, nondum
justificat quenquam, nisi præterea accedat voluntatis assensus per
efficacem tractum cordis, ut promissionem generalem salutis in
specie nobis singuli verâ fiduciâ applicemus, ut videre est in Rege
Agrippa, Act. 26. 67.

11. Huic enim Beatus Paulus, *Credisne* (inquit) *Rex Agrippa?*
Scio (ait idem Apostolus) *te credere.* At quid respondet Rex? *Pro-*
propemodum, vel in parvo (inquit) *persuades mihi, ut fiam Christianus.*
Nimirum nondum tum erat Christianus; propè tamen aberat,
ut persuadendo Christianus fieret: unde etiam Apostolus subdit
Optarim à Deo & propemodum, & admodum, non modo te, sed omnes
eiam me audientes hodie fieri tales, qualis ego sum, exceptis his vin-
culis. At dictis his, Rex surgit, & abit. Act. 26. 27. 29.

12. Accipiendæ sunt igitur phrasæ, & formulæ loquendi de
fide & actu credendi in Scripturis pro conditione auditorum, &
ratione subjecti, ac circumstantiarum diversimodè. Verbi gratiâ,
cum Christus Judæis dicit, Jo. 5. 46. *Si crederetis Mose, crederetis*
mihî: non intelligit nudum illum duntaxat mentis assensum, quo
multi crediderunt, sed verum simul cordis tractum, ut sit sensus:
Si verâ fiduciâ promissiones salutis, à Mose deme testificante pro-
positas, vobis applicaretis, utiq; crederetis mihî, hoc est, verâ fidu-
ciâ animi mihî adhæreretis.

13. At

13. At contrarium de eis testatur Christus. *Etenim sermonē* (inquit) *non habetis in vobis manentem, quia quem nescit ille, huic non creditis.* Item: *Non VULTIS venire ad me* (volumus autem corde, & venire est credere, Joh. 6. 35.) *ut vitam habeatis.* Deniq; , *Novi vos* (inquit) *charitatem Dei non habere in vobis;* ergò nec fidem per charitatem agentem, Joh. 5. 38. 40. 42.

14. Nam quòd dicuntur sperasse in Mosen, id est, interprete Domino, in scripta Mosis, non intelligendi sunt spem suam habuisse defixam in promissionem Evangelii à Mose propositam (finis enim Legis Christus) quia justitiam fidei sibi vero assensu cordis, unde spes promanat, non applicabant, sed constituentes sibi justitiam propriam, justitiæ DEI non fuerunt subjecti. Itaq; *ἰσχυροὶ* in Mosen sperabant, Rom. 10. 3. 4. 8. Deut. 30. 14.

15. Sic multi **IN NOMEN CHRISTI** dicuntur credidisse, conspicientes signa, quæ edebat, Joh. 2. 23. Sed declarationis causa adiicitur: *Ipsè autem Jesus non credebat eis semetipsum, eò quòd nosset omnes.* Credebant videlicet assensu mentis generali in eum, quòd esset Messias promissus, non tamen apprehensione fiduciæ sibi eum applicabant: quod & primores illi fecisse arguuntur, qui eum non sunt confessi, Joh. 12. 43. quippe gloriam hominum plus diligentes, quàm Dei.

16. E contratio dicuntur simplici loquendi genere credere quandoq; ipsi electi, quòd Christus sit **DEI Filius**: nec tamen assensus mentis nudus in eis duntaxat est intelligendus, sed cum fiducia conjunctus, ut cùm Petrus suo & Apostolorum nomine, *Tu es Christus* (inquit) *Filius Dei vivi,* Matth. 16. 16. Joh. 6. 37. simul verâ fiduciâ cordis eundem sibi applicasse virtute Spiritus, mediante verbo, censerì debet.

17. Sic cùm Christus affatus Martham diceret, *Qui credit IN ME, non morietur in aeternum,* subjunxit: **CREDIS HOC?** Illa simpliciter respondet: *Ego credo te esse Christum Filium Dei, qui in mundū venturus erat.* Quis verò tam væcors est, ut ppter ea negari putet

duntaxat credimus esse vera, non continuo speramus: sed contra quaecunq; nobis à Deo promissa speramus, ea solidâ cordis fiduciâ credendo amplectimur, inq; iis expressâ voluntatis, non autem sola intellectus consensione, acquiescimus.

23. *Accedentem enim ad Deum oportet credere* QUOD SIT, dicit Apostolus: sed hoc non satis est ad fidem salvificam, cum & Dæmones, vi intelligentiæ *ἑσιώδεις* credant DEUM esse: sed iidem tantum à salutaris fiduciâ absunt, ut cohorrescant, Jacobi 2. 19. Hebr. II. 6.

24. Quid igitur? Oportet in super CREDERE QUOD DEVS ΜΙΘΨΟΔΟΤΗΣ id est REMUNERATOR SIT IPSVM QUÆRENTIBVS; quod sine expresso voluntatis assensu & cordis tractu, ut in salutis promissione verâ fiduciâ animi acquiescamus, fieri nequit, ut patet in Protopatriarchis, & Mose, probrum Christi Ægyptiorum thesauris anteferente, Heb. II. 6. 8. 9. 23.

25. Demonstrat idem fidei alterū illud attributum, quo Apostolus eam vocat, *elenchum rerū non conspēctarum, sive non apparentium*. Etsi enim plures sunt res non apparentes, quàm speratæ, (utpote res, quæ præterierunt) de quibus per verbum fidei ex S. Spiritus operatione certiores reddimur: ac proinde sicut apparentium visio ad oculos corporeos, ita nō apparentium Elenchus, ad oculos animi, ac consequenter ad cognitionem mentis primò refertur: tamen non figit pedem in solâ intellectus illuminatione, & persuasionem mentis, sed inde ad persuasionem & certificationē cordis & fiduciam voluntatis, extenditur, ac descendit.

26. Etsi enim Elenchus hoc loco Apostolo infallibilis demonstratio & certioratio illa spiritus est per verbum Evangelii, utcunq; stultum coram Mundo, non modò in mente, sed etjam in corde, & voluntatis assensu producta, ut ea, quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis descenderunt, quæ paravit DEVS ipsum diligentibus, quæq; revelavit nobis per spiritum suum, verâ fiduciâ animi amplectamur, nobisq; sigillatim applicemus, acquiescentes in Christo Jesu Domino nostro, 1. Cor. 2. 9. 10.

27. Propterea non tam Argumentum verti debet, ut post vulgatam

gatam versionem reddidit Arias, quam Apodixis, & Demon-
stratio spiritus, ut habet Scholiastes Græcus, non ex aspectabili-
bus, & principiis humanis, sed ex verbo DEI, per Spiritum
Sanctum, ut sit ex divina potentia, non modò illuminante men-
tem, sed etjam trahente & convertente cor, juxta illud: *Et conver-
tet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè ve-
niam, & percutiam terram anathemate.* Malach. 4. 6.

28. Declarat hoc Apostolus ipse 1. Cor. 2. 4. 5. Cùm inquit:
*Et sermo meus, & predicatio mea non (versata est) in persuasibilibus
humana sapientia verbis, sed in Apodixi, hoc est, demonstratione Spi-
ritus, & potentia; Ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed
in potentia DEI, &c.*

29. Insignis hic locus est, quippe non modò cujusmodi sit
Elenchus fidei demonstrans, nempe apodixis Spiritus & potentia
DEI, per verbum Evangelii, insculpta animis, ut infallibili certio-
ratione corda nostra obsignet: sed etjã nobis viã aperit ad alterius
Loci Paulini intelligentiam, quomodo in persuasione, quæ est per fi-
dem, libertatem & accessum habeamus in Christo ad Deum, Ephes.
3. 12. nempe ex persuasione non humanâ, sed divina illâ, quæ est
plerophoria fidei, qua de re infra.

30. Quòd si de Spiritu Paracleto in Evangelio Dominus, Cùm
venerit (inquit) ἐλέγξει, arguet, sive convincet Mundum de peccato,
quia non credunt in me, Joh. 16. 9. quantò magis verâ certioratione
fidei ἐλέγξει, hoc est arguendo convincit, ac stabilis corda nostra
per apodixin divinæ potentia, donans electos fidei plerophoriã,
ut ex corde fiducialiter clament, Abba Pater, Rom. 8. 15. Gal. 4. 6.

31. Itaq; non modò obsignant fideles electi, quòd DEVS verax
est, recipiendo testimonium Christi, ut est, Joh. 3. 33. sed etjam
ipsimet πιστεύοντες, credentes (in ipso videlicet fiduciatio credendi
illo actu) obsignantur Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo ha-
reditatis nostræ, dum in libertatem vindicemur ad laudē gloria ipsius,
ut est, Ephes. 13. 14. Quia qui nos confirmat, & unxit Deus est, qui
etiam obsignavit, & dedit arrhabonem Spiritus IN CORDIBUS
NOSTRIS, 2. COR. 1. 21. 22.

B 2 32. Hinc

32. Hinc est, quòd de fide Electorù agens Apostolus, i. Theff. 1.3.4.5. non subsistat vel in prædicatione externâ, vel in virtute, & Spiritu illuminationis internæ, nempe quoad Ἰπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, hoc est, agnitionem veritatis, in solo mentis assensu sitam (ab hac enim totalis potest fieri apostasia, Hebræor. 6.4.5. & cap. 10.26.) sed ad plerophorian descendit, & quidem πολλὴν multam, ut fiduciam cordis, & assensum voluntatis in promissione Evangelii acquiescentem nobis in sinuet.

33. Sic enim inquit: *Indefinenter memoriâ repetentes opus fidei vestra, & laborem charitatis, & tolerantiam spei Domini Nostri Jesu Christi, coram Deo & Patre nostro, ut qui sciamus, fratres dilecti, vos à DEO ELECTOS ESSE. Quare? Quoniam (addit) Evangelium nostrum non in sermone solum apud vos constitit, sed in virtute, & Spiritu Sancto* (an in mente solâ? non, quia subdit) καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ, intellige πίσεως, hoc est, *in certa persuasione multa fidei*, ut vertit Beza, sive ut habet Arias, *in plena perceptione multa*, quæ fiduciâ cordis non caret.

34. Vox plerophorias significat persuasionem, quâ quis plenè in aliquam rem fertur, sive id fiat in intellectu, sive in voluntate sive in actu exercito, sic, ut in re sibi proposita tanquam indubitata, acquiescat. Sic Apostolo dicitur συνέσεως πληροφορία εἰς Ἰπίγνωσιν & μυστηρίῃς & Θεῶν, *plena persuasio, sive perceptio intelligentia ad cognitionem mysterii Dei*, Coloss. 2. 2. quomodo Apollos assumptus ab Aquila & Priscilla exquisitius viam Domini edoctus est, Act. 18.26. Et opponitur hebetudini sive ἀσυνείδησι eorù, qui parum in Scripturis versati sunt, hoc est indoctis & instabilibus.

35. Secundo sumitur πληροφορία πίσεως pro fiduciali assensu cordis, tanquam electionis nostræ teste, ac tecumarte infallibili, ut in supra citato loco ad Theffalonicensès dictum est; quomodo & Apostolus loquitur, Hebr. 10.22. *Cùm, Accedamus (inquit) CUM VERO CORDE ἐν πληροφορίᾳ πίσεως, & quidem abluti*, addit, *cordibus à conscientia malâ*, id est, ad Dominum conversi, quo fit, ut bonâ conscientia Deum interroget, ut est, 1. Pet. 3. 21.

36. Hic negari non potest Cor propriam plerophorias fidei
fedem:

7.
eodem esse, non quatenus pro intellectu & assensu mentis interdum sumitur, sed quatenus conversionem habet voluntatis, hoc est, quatenus in ipsa spectatur voluntate, & conjunctum est cum bona conscientia; frustra nonnullis plerophoriam fidei ad generalem assensum mentis traducentibus, quasi non sit fiducia cordis, & assensus expressus voluntatis, decepti actu exercito, sive secundo fiducia, qui est effectus ex affectu fiduciali cordis promans, eoque fide posterior.

37. Denique plerophoria de spe sumitur, ad quam omne studium convertere debemus, ut cum Heb. 6. 11. dicitur: *Cupimus autem, ut unusquisque vestrum idem ostendat studium, τὸς τὴν ἀληγοφορίαν τῆς ἐλπίδος ὅτι ἄλλοι τέλεις, ad plenam spei persuasionem usque ad finem;* ubi nemo non videt, sicut spes fide est posterior, ita plerophoriam spei plerophoriam fidei consequens & effectum esse, & ita nihil à parrhesia nostra ingrediendi sacrarium differre, ut paulò post dicetur.

38. Summa hūc redit, ut cognitionē & fidem jungamus, hoc est, non nudam mentis notitiam, nec assensum solius intellectus, sed etiam tractum voluntatis, & assensum, sive fiduciam cordis, fidem justificantē esse statuamus, qua Christum cum omnibus beneficiis, morte & resurrectione ipsius partis, nobis sigillatim applicemus, & in verbo promissionis acquiescamus.

39. Hinc B. Petrus, *Domine* (inquit) *ad quem abibimus? Verba vitæ æterna habes* (est hæc promissio salutis ab Apostolis verā cordis fiducia, sive plerophoriam fidei, apprehensa: quibus addit) *ET NOS CREDIDIMUS ET COGNOVIMUS, quod tu es Christus Filius Dei vivi,* fidem & cognitionem interstinguens, simul & conjungens, Joh. 6. 37. *Quomodo & D. Paulus loquitur, Ephes. 4. 13. Donec occurramus omnes in unitate FIDEI, ET AGNITIONIS Filii Dei, &c.*

40. Sic Johan. 20. 31. *Non modò, Hæc autem scripta sunt* (inquit Evangelista) *ut credatis Jesum esse Christum: sed etiam addit, Et ut credentes vitam habeatis IN NOMINE EIUS: ubi τὸ ἐν nomine ejus, cum participio credentes jungimus, absque commate post πιστεύοντες, ut habet Complutensis codex, licet si cum*

B 3. verbo

verbo *ἐπίστε* construas, eodem res recidat. Videatur locus *ὁμοιω-*
20, Johan. 1. 12. *Qui credunt in nomen eius*, &c.

41. Sic denique Apostolus Petrus in posteriore primo *ϑλ.* 5.
Ad hoc ipsum verò omni præterea studio aducite (inquit) *FIDEI VE-*
STRÆ virtutem, virtuti verò S'CIENTIAM, manifestè incre-
mentum scientiæ à fide distinguens, quomodo etiam Apostolus
Paulus credentibus Ephesis cap. 1. 17. precatur, *ut pater ille gloriæ*
det eis Spiritum sapientiæ, & revelationis per agnitionem ipsius, *ὡς*
ἰδρυώσεαι αὐτοῖς, *illuminatis oculis mentis ipsorum ad sciendum, quæ sit*
spes vocationis ipsius; ubi de incremento scientiæ agit fidei adden-
da. Quin & Apostoli de fide ipsa sibi augendâ, *Domine ἡμετέρας*
ὄψιν πύσω, inquit, Luc. 17. 5.

42. Causæ igitur ad hûc nihil est, cur secluso voluntatis assen-
su & fiduciâ cordis, quæ plerophoria fidei est, & formam ejus essen-
tialem constituit, ad speculationem mentis, & assensum solius in-
tellectus, quocunq; tadem colore, fidem justificantem alligemus:
licet non cæcam velimus, ac implicitam fidem, qualem statuunt
Pontificii, sed maximè explicitam, & verbi DEI evidentiâ nixam.

43. Sed occurritur nobis ab hostium veritatis deterrimis, sibi-
lum veteris serpentis edentibus, & dictitantibus, cùm accidens
unum in diversis non possit esse subjectis, monstri & chymaræ si-
mitem esse, si fidem simul in intellectu & voluntate collocemus,
atq; ita in duabus animæ potentiis ex duabus virtutibus unam nu-
mero conflamus, & consuamus.

44. Proinde nec fidem esse fiduciam cordis ogganiunt, &
Reformatas Protestantium Ecclesias fidei naturam ignorare, fal-
sog; in morte & resurrectione Christi tanquam præcipuo fidei ob-
jecto occupari eam contendunt; unde in Concilio Tridentino
Sess. VI. can. 28. *Eum qui fidem sine charitate habet*, apertè contra
S. Paulum *nihilominus esse Christianum* pronunciant, quod non
de charitatis actu quandoq; interrupto, sed de ipso habitu, à fide
disseparato statuunt.

45. Nos ex S. Paulo & divinis Scripturis edocti nec fidem sine
notitia, nec assensum solius mentis, sed fiduciam etiam cordis &
volun-

voluntatis per charitatem agentem (ut supra abundè ostensum est) salvificam fidem definimus, nec justificare nos sui qualitate, quatenus est regenerationis & inhærentis justitiæ principium, & causa, sed quatenus apprehendit Christum pro peccatis nostris mortuum, & propter complementum justificationis nostræ, quatenus in ipso, qui caput est sumus perfecti, resuscitatum (quippe in ipso sumus circumcisi circumcissione sine manibus) ideoq; non nisi per imputationem totalis obedientiæ Christi nos justificari, hoc est à peccatis & omnipostulato Legis nobis præstito impossibili, absolvi, constanter asseveramus.

47. Quod igitur ad theorema Philosophicum attinet, etsi fides Christiana factis fixa literis, non nititur principiis Physicis: tamen ne glaucomâ præstringant nobis oculos adversarii, & nebulam veritatis soli prætendant, negamus fidem esse ejusmodi accidens (qualis est scientia, in solo intellectu collocanda) sed esse unū aggregatione asserimus, ubi nihil vetat in pluribus eam inesse potentiis, licet primò sit in intellectu, postea in voluntate; quia ignoti nulla cupido.

48. Quod ut melius intelligi possit, dicimus fidem esse habitum organicum totius virtutis in nobis inchoandæ inchoatum; ideoq; non tantum intellectum, sed etiam corda purificare, ut est, Act. 15. 9. atq; ita plerophoriam non solum synecdos in intellectu esse, sed etiam fiduciam cordis, & assensum voluntatis complecti, quatenus in agnitam Veritatem, ac promissionem ita ferimur, ut in eâ defixi solide acquiescamus.

49. Exemplo Charitatis res fiet illustrior, fidei justificatis perpetui effectus, quæ in hac vita inchoata, in altera perficienda, habitus est totius virtutis extremorū expertis, & in omnibus potentiis animæ collocatur, ut est Luc. 10. 17. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* (ubi videlicet primaria sedes charitatis est) *ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, Et Ex Tota Cogitatione Tua* *ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου*: ubi nihil vetat unum & idem accidens in pluribus potentiis animæ inesse diversimodè.

50. Agnoscit hoc ipse Thomas, qui in summa sua *Charitatem*

(iii)

(inquit), quâ diligimus Deum, intellectus, seu ratio elicit, voluntas imperat, omnes omnino facultates divino quodam consensu, & conspiratione ad eâ concurrunt. Non igitur charitas est involuntate solum.

51. Sic Philosophus Topic. V. ubi de proprio, quod ratione alterius dicitur, discernendo agit, virtutem in pluribus animæ viribus, quàm scientiam ponit. Nam virtus est in parte ea, (ut eruditissimorum commentariis docemur) quæ perturbationibus obnoxia est, tum in ea parte, quæ rationis particeps est: scientia autem est in ea parte solum, quæ rationis est particeps.

52. Quod si de particularibus virtutibus hæc astruit Philosophus, quanto magis de virtute tota, extremorum experte (qualis est habitus iustitiæ universalis, ut est Ethic. Nicom. Lib. 6. capite ultimo) idem sentiat necesse est; & per consequens, cum fides non sit nuda scientia, sed habitus organicus ad totam virtutem in nobis inchoandam comparatus, & iustitiam imputatam Christi ambabus (ut ajunt) manibus hoc est & mentis & voluntatis assensu apprehendat, (ut abunde probatum est supra) fiduciam eam esse necesse est, nec tantum scientiam in mente positam.

53. Nec jam disputamus, utrum fiducia cordis, & assensus voluntatis, qui necessario ad notitiam & assensum mentis oportet accedat, nisi fidem Agrippæ credentis Prophetis, veram justificantem fidem fuisse velimus, & ita simul Christianum, & non Christianum faciamus, quod est, negare ipsum esse ipsum, utrum dico fiducia cordis, quæ est plerophoria & forma justificantis fidei, sit notitiæ & assensus in mente effectus, cum sit ordine posterior.

54. Quia enim fidem justificantem non solo intellectu, sed etiam voluntate metimur, ut sit habitus ex utroque subjecto compositus, definitio definito non propterea erit posterior, etiamsi mentis notitiæ & assensus fiducia voluntatis, sit tanquam dux & lux, & hæc illius tanquam causæ (non tamen continentis, cum notitiæ & assensus mentis possit esse sine fiducia voluntatis, etsi hæc non sit sine illis) existat effectus; quod puto sentire clarissimum Tilenum, thesibus de fide justificante, cujus sententiam utinam non esset, qui perverteret, hoc est plerophoriam ad assensum mentis, ut supra dicebamus, temerè transferret.

55. Rectè igitur Tilenus thesi 20. *Partes hujus fidei* (justificantis) *sunt* (inquit) 1. *notitia*, quæ verbum DEI, Legem, & Evangelium apprehendit. 2. *assensus*, quem præbemus iis omnibus, quatum in Lege, tum in Evangelio scripta sunt. 3. *fiducia*, ac *πληροφορία*, *Certissima persuasio*, quæ credens generale promissionis Verbum speciatim sibi appllasat. Priores dua partes sedem habent in mente: postrema, quæ præcipua est in justificationis negotio, in voluntate. Hæc ille.

56. Quin idem accuratissimè fiduciam voluntatis interstinguens, (quia plures sunt res, quæ vocabula) optimè thesi 29. *Fiducia* (inquit) *modò ut forma hujus* (justificantis) *fidei, modò ut ejusdem effectus consideratur: nempe*, quia & certà persuasione Christum amplectitur; & ex hac *πληροφορία* pacem conscientia in nobis gignit. *Illud prius est forma: hoc posterius est effectus.*

57. Verè profectò effectus à forma discernendi, quatenus fiduciam pacatæ conscientia concernit; hoc est, quatenus omnis opulencia certò persuasæ intelligentia, (quàm *πάντα πλετον τῆς πληροφορίας σωτηρίας* Apostolus vocat, Coloss. 22. quamque ad fidem justificantem, & salvificam tanquam scientia adjiendæ incrementum, ad agnitionem mysterii Christi cum Petro vult addi) consolationem parit in cordibus nostris, nobis charitate compactis, ut ibidem loquitur Apostolus, unde *πληροφορία ἐλπίδος*, hoc est, plena persuasio spei, quæ nihil aliud est, quàm parrhesia & gloriatio spei ad finem usque retinenda, tanquam effectus existit, Heb. 6. 11. & cap. 3. 6.

58. Nec alio sensu Venerandi & Clarissimi Præceptoris, Domini Bezæ, verba accipio, qui in annotationibus majoribus vocem *πεποιθήσεως* fiduciam vertens pro effectù, non pro essentiali parte justificantis fidei eam accepit. Sic enim ad cap. 1. Luc. 1. explicato verbo *πληροφορέσαι*, *Inde factum* (inquit) *ut Paulus πληροφορίας* vocet partim quidem testimonium illud Spiritus sancti, per quem in corda electorum effunditur dilectio, quæ nos Deus dilexit, cum peccatores essemus: partim verò illius testimonii efficaciam in nobis, cuius vi certò scimus fore, ut nihil nos possit separare à dilectione illà, quæ nos Deus in Christo dilexit ab æterno. Hæc illic, quibus subjungens:

C 60. Huic

59. Huic autem *πληροφορία* (inquit) *conjuncta est*, *πεποιθήσις* illa, qua facit, ut in mediis afflictionibus gloriantes (est hic effectus justificantis fidei, Rom. 5. 2. 3.) cum fiducia clamemus Abba, Pater: suntque hi proprii, & peculiare in Electis effectus fidei, à qua fideles appellamur. Itaque qui hanc doctrinam oppugnant (addit) sciunt sese ipsi Christo, & Christianæ religioni bellum indixisse: quæquidem verissimè Dominus Beza, tum adversus Epocham Pontificiam, tum adversus eos, qui fidem justificantem non esse infallibile testimonium electionis nostræ statuunt, cum tamen hi effectus sunt in solidum proprii & peculiare.

60. Itaque mirum non est, Ephes. 3. 12. ad illa verba, *ἐν ᾧ ἔχομεν* *παραρρησίαν* *ἐν τῷ πνεύματι* *ἐν τῷ λόγῳ* *ἐν τῇ πίστει*, id est in quo habemus libertatem, & aditum cum fiducia, per fidem ipsius, sic eundem Scribere: *Per fidem ipsius, id est, per fidem in illum.* Vide Rom. 3. 22. Ex hoc autem loco apparet (inquit) manifestè *πεποιθήσις* id est, FIDUCIAM A FIDE, nempe ut effectum à causâ differre: ac proinde à nonnullis perperam pro fide substitui FIDUCIÆ nomē, quamvis ista duo semper cohercant, quum de vera illa fide agitur.

61. Expressissimè hinc apparet nomē fiduciæ Bezam accepisse in posteriore significatione, non quâ significat formam essentialē justificantis fidei, sive plerophoriam, sed quatenus ab ea differt, & ciet in nobis gemitus inenarrabiles, quibus gloriamur in oppressionibus, & cum fiducia, [quam Latinè fidentiam dixeris] clamamus Abba Pater: ne quis putet, cum hinc fiduciā à fide distinguat, quasi plerophoriam cordis esse veram justificantem fidem, contra plerophorias explicationem, supra à ipso allatam, vellet inficiari: quod absit!

62. Postulat hic locus, ut antequam descendamus ad verba contextus, Ephes. 3. 12. breviter de fidei justificantis natura, & effectis agamus paulò pressius, atque distinctius. Cum .n. in Christo Jesu nihil valeat, nisi fides per Charitatem agens, *διὰ τῆς ἀγάπης ἐνεργουμένη*, Gal. 5. 6. necessario, quæ nam illa sit, & quomodo per charitatem sit efficax, ac operetur, accuratè est dispiciendum; non alio pacto justificantis fidei certiorationem ex interiore ejus formâ re-

magis percepturi, nec locum ad Ephesios enodatus explicaturi, firmiter aduersariis occurruri, quam istis probe discussis.

63. Sciendum est igitur tum demum fide nos justificari, hoc est, remissis peccatis pro perfecte sanctis & iustis haberi coram Deo, propter imputatum nobis perfectissimae obedientiae Christi meritum, cum in ipso passio & resuscitato sumus fundati, & radicati in charitate, ut est Ephes. 3. 18.

64. Fundati dico, hoc est, immoliti, ac depressi ad fundamentum usque, ut angularem illum lapidem Christum Jesum verae cordis fiduciam in verbum defixam, sic contingamus, ut eidem veluti vivi lapides spiritualis domus inaedificemur, & simus habitaculum sanctum in Domino, per donationem ipsius Spiritus, non tantum mentem renovantis ad cognitionem & assensum Verbi: sed etiam cor trahentis & immutantis voluntatem, hoc est, verae respicientiam ac fiduciam donantis, ut simus in verace illo. Ephes. 2. 20. 22. I. Pet. 2. 4. I. Joh. 5. 20.

65. Radicati vero IN CHARITATE, non tanquam charitas sit forma fidei, (ut volunt Sophistae; est enim effectus & consequens illius) nec velut per charitatis habitum nos fides iustificet, absit! Sed quia fide Christo ita implantari nos necesse est, ut quemadmodum surculus immixtus in fissum truncum non prius vere cum eo cohaeret, nisi cum particeps succi & pinguedinis radicis, cum ipso coalescit: ita nec nos cum Christo vere coniuncti erimus, eiusque participes facti, nisi charitatis succum ex ipso haurientes, Deum supra omnia, & propter Deum proximum, sincere diligamus.

66. Haec est illa nota filiorum Dei propria, hocque mandatum novum illud, in ultima coena nobis relictum, quod in ipso novum & verum est, dicente Domino, Joh. 13. 34. *Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis: sicut dilexi vos, ut etiam diligatis alii alios.* 35. *Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios.* Item Johan. 15. 8. *In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum multum afferatis, & eritis mei discipuli.* 9. *Prout dilexit me Pater, ita & ego dilexi vos, manete in illa mea charitate.* 10. *Si man-*

C 2 data

data mea serua veritis, manebitis in charitate mea, & quæ sequuntur ibidem plura.

67. Plena est Scriptura & imprimis Apostolicæ epistolæ, ac præfertim dilecti illius discipuli Christi, charitatem nobis præ cæteris inculcantis, ut videre est I. Joh. 2. 9. 10. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & offendiculum in eo non est.* Sic cap. 3. 10. *Per hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli; Quisquis non exercet iustitiam, non est Dei, & qui non diligit fratrem suum.* Item, vs. 14. *Nos scimus, nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres: qui non diligit fratrem, manet in morte.*

68. Sic de universo iustitiæ actu habitum charitatis sequente eodem cap. vs. 7. gravissimis verbis nos hortatus, *Filioli (inquit) qui exercet iustitiam justus est, sicut ille justus est.* Item vs. 18. *Filioli mei, ne diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate. Et per hoc (addit) cognoscimus nos ex veritate esse, & coram ipso persuadebimus corda nostra. Nam si nos condemnat cor nostrum, potentior est Deus corde nostro, & novit omnia. Charissimi, si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum.* Denique de fide vincente mundum, & nos in obsequium Spiritus trahente, (quæ est, ἡ πικροῦ τῆς πίστεως fidei obedientia.) *Quoniam quidquid natum est ex Deo vincit mundum (inquit): & hæc est victoria, quæ vincit mundum, Fides nostra, I. Johan. 5. 4.*

69. Uno verbo, necesse est fidem in Christi morte & resurrectione sic defigi, ut non solum remissionem peccatorum, & plenam iustitiæ & sanctitatis ejus imputationem habeamus, sed vi ipsius mortis quoque vetus homo in nobis mortificetur, & induatur novus, per ipsius resurrectionem, ut Spiritus prævaleat carni, aliâs fides non erit ἐνεργητικὴ διὰ τῆς ἀγάπης, efficax, sive agens per charitatem, ideoque non poterit secunda reddere corda nostra, nisi hanc victoriam obtineat adversus carnem & mundum.

70. Proinde accuratè discernendum est inter ἐνεργίαν fidei, per charitatem se exerentis, ut fructum ferat in tempore suo, Psal. 1. 3. & inter fidem, quæ vel est notitia & assensus solius intellectus, vel

70.
vel assensus quidem voluntatis & fiducia cordis, sed interrumpitur ejus efficacia, fitq; linum fumigans, & quidem per lapsus graves contra conscientiam, carne prævalente Spiritui ad tempus, (licet non totaliter nobis prædominante, ut aboleatur penitus;) & denique inter fidem exiguam, quæ luctatur cum diffidentia, & cum illo in Evangelio clamat: *Credo Domine, sed adjuva incredulitatem meam*, Marc. 9. 24.

71. Duo posteriora hæc genera non omnino vera fides esse definiunt quidem, quo ad actus primi primordia: sed nisi confirmetur, & suffulciantur Dei gratiâ, ut fiducia vincat diffidentiâ, & carni rursus prævaleat Spiritus, Domino cor novû in nobis creante; & actum primum revocante ad actum secundû, pro immensa misericordia sua, nõ possunt nobis testimoniû *ὑποκεισας* nostræ, sive adoptionis sonorum reddere: ac proinde quoad nos fides, quodammodò deficit, licet non quo ad Deum, misericordia ejus in hoc superante ipsius iudicium.

72. Proinde nemo ablandiatur sibi non modò in fide historica, & quæ est mortua, spinis suffocantibus semen, ne possit fructum ferre, aut temporaria, radicem non habente (cujusmodi uberem messem mundus metit) sed nec in fide illâ succumbente carni, nisi gravem Dei manum velimus perferre, ut est Psal. 3. 2. 4. quia hæc fides si non prorsus mortua, tamen intermortua quodammodò est, adeò ut lapsi per nos resurgere, nisi Dei singulari gratiâ præventi, non possimus; nec Dominum, qui validior est nobis, tentare debeamus. Jerem. 10. 23. & cap. 13. 23. I. Corinth. 10. 22.

73. Plerophoria igitur fidei, ac fiducia cordis adsit oportet, quæ adesse non potest modo ac ratione debitâ, nisi carni prævaleat Spiritus, ut fides per charitatem operetur, & justitiam actu exequamur, traditi in typum doctrinæ passionis & resurrectionis Christi, ut ei ex corde obediamus. Soli enim hi sunt Christi, qui Christi Spiritum habent; si autem habent, secundum eum etiam incedant. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hoc est, ejus obsequio parent, sunt filii Dei, testimoniû ipsis reddente Spiritu,

C 3 per

per quem clamamus, Abba Pater, nos esse Dei filios: nec super alios manente pace & misericordiâ Dei, nisi super ambulantes secundum hunc canonem. Rom. 6.17. & cap.8.9.12.14.16. Gal. 5.25.& cap.6.16.

74. Exemplo esto Pater credentium Abraham, qui non tantum non disceptavit infidelitate adversus promissiones Dei, nec infirmatus est fide: sed etiam confortatus, dedit gloriam Deo, ac plenè persuasum habens, quod promiserat, posse etiam facere, adedò quidem, ut sub spe contra spem crediderit ei, qui vivificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, ut sint: quomodo etiam ex obedientia fidei, quâ Deum dilexit, recepit ab ipso mactandum Isaacum, dicente Domino: *Nunc cognovi, quòd timeas Deum, & non pepercisti unigenito Filio tuo propter me*, Genes. 22. 12. Roman. 4. 27.

75. Quapropter Christum in promissione verbi apprehendens Abraham justificatus est, sive imputatum est ei ad justitiâ, Gen. 15. 6. quemadmodum etiam nobis ad justitiam imputabitur credentibus in eum, qui excitavit Jesum ex mortuis, *traditum* (inquam) *propter offensas nostras, & excitatum propter Justificationem nostri*: tantum abest, ut Christus passus & resuscitatus non sit præcipuum illud, imò unicè adæquatum fidei objectum, ut videre est Roman. 4. 24. 25. Luc. 24. 46. Actor. 17. 3. & cap. 26. 23. 1. Corinth. 15. 3. 4. 2. Timoth. 2. 8. Et aliis Scripturæ locis quàm plurimis.

76. Igitur expeditis his, Definitionem justificantis & salvificæ fidei (non enim est alia justificans fides, alia salvifica, cum sit una, & quidquid pars est justitiæ, etiam salutis causâ sit necesse est, cum justitia & salus causis immediatè cohæreant, unde tam salvamur gratis, quàm justificamur) extruimus hunc in modum: *Fides justificans, est persuasio ex Deo per Evangelium, quâ operatione sancti Spiritus non tantum donamur mente, ut cognoscamus illum, qui verax est, sed etiam tracti corde, sumus in veraci illo, in Filio ejus Jesu Christo, qui verus est Deus, & vita æterna: unde qui Christum*

stum habet, omnia habet ad salutem necessaria, 1. Johann. 5. v. 20.

77. Definitionem sic evolvimus. Cùm dicimus fidem justificantem, definitum ab omni alio fidei genere, historico, miraculoso, temporario, mortuo (hoc est, eorum, qui dicunt se DEUM nosse, factis verò negant, quum sint abominandi & rebelles, & ad omne opus bonum reprobi, Tit. 1. 16.) fecernere, adeoque secludere par est: infirmis tamen, & lapsis ab hoc postremo genere exemptis, ac interstinctis, qui revocare debent in memoriam dies præteritos, cùm illustrati crediderunt, & sese excitare, cùm dormiunt, & surgere à mortuis prolapsi, per DEI ipsos excitantis, & ad vitam revocantis gratiam, ut illis illucescat Christus, Hebræor. 10. 32. Roman. 13. 11. Ephes. 5. 14.

78. Cum dicimus esse persuasionem ex Deo per Evangelium, assignamus genus proximū, cum causa efficienti, instrumentali, & objecto fidei, in quod primum fertur, nempe in Evangelium. Est enim Evangelium simul potentia Dei ad salutem omni credenti, hoc est, instrumentum Dei potens ad progignendam in nobis fidem, & objectum ipsum, per quod Christus nobis offertur, quod est apprehendendum; adeò ut nec Christum extra verbum quæramus, nec aliundè quàm à Deo per verbum certiorari nos patiamur; enthusiasms procul rejectis, & profligatis.

79. Cùm verò addimus, quâ, operatione Spiritus Sancti non tantum donamur mente, ut cognoscamus illum, qui verax est, sed etiam tracti corde sumus in verace illo, & cætera exprimimus veram justificantis fidei formam, sive plerophorian, quâ assensu & fiduciâ voluntatis sic apprehendimus Christum, ut in illo justificati, vitam æternam gratis obtineamus, 1. Johan. 5. v. 20. *Qui enim credit in Filium* (inquit ibidem Johannes) *habet testimonium in se ipso: qui non credit Deo, mendacem eum fecit, quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo. Est autem hoc testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus; & hæc vita in Filio eius est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet,* v. 10. 11. 12.

80. Co.

80. Cognito igitur hætenus, quænam & quid sit Fides justificans, superest, ut alterum illum D. Pauli locum breviter enodatum adtexamus, cum Ephes. 3. 12. inquit, ἐν ᾧ ἔχομεν παρρησίαν, καὶ τὴν προσευχὴν ἐν πεποιθήσει, διὰ τὴν πίστιν αὐτοῦ, id est, *In quo habemus libertatem, & aditum in persuasione, per Fidem ipsius*: ubi Quæstio illa solvenda venit, an πεποιθήσις sit fidei justificatis pars, an verò effectum?

81. In quo, id est, in Christo non modò passio, sed etiam resuscitatio (quatenus in ipso, qui caput est, sumus completi) habemus parrhesiam, & accessum ἐν πεποιθήσει διὰ τὴν πίστιν αὐτοῦ. Variè hic locus ab interpretibus vertitur, aliis reddentibus πεποιθήσιν fiduciã vulgatã confidentiam: Parrhesiam verò diversimodè expresserunt; Cajetanus cum Xante Pagnino audaciam loquendi; Beza libertatem, Arrias fiduciam, quo ad sensum non malè.

82. Memorabilis sanè regula illa est Augustini, & sapienter præscripta, quùm lib. 2. de doctrina Christiana cap. 12. *Illarum (inquit) linguarum ex quibus per venit in Latinam linguam Scriptura, petenda cognitio est: aut habenda interpretationes eorum, qui se verbis obstrinxerunt.* Hoc idem si hoc loco factum foret, ex diversitate interpretationum, non esset orta diversa opinio, ut jam jam dicemus.

83. Ac primò quidem quod ad parrhesiam attinet, cum copuletur cum accessu ad DEVM, ad loquendi audaciam referri nequit (de qua Paulus Ephes. 6. 19.) sed omnino cum loco Heb. 10. 19. consentit, ubi *habentes (inquit) παρρησίαν εἰς τὴν εἰσοδὸν ἁγίων libertatem ad ingressum sanctorum*; unde nemo nõ videt ad loquendi audaciam impertinenter transferri. Imò cum parrhesia εἰς εἰσοδὸν dicatur, omnino ἐν διὰ δύο hoc loco explicatur, ut sit sensus habentes libertatem accessus.

84. Est autem hæc libertas nihil aliud, quàm fiducia illa, quæ est fidei salvificæ effectus, quo intrepidè bona conscientia DEVM interrogat, quomodo & vertit Arias, & Beza persèpè, ut Hebr. 10. 35. *Ne abijcitis fiduciam vestram* (in Græco est παρρησία) *quæ magnam habet præmii retributionem.* Et I. Joh. 2. 28. *Nunc igitur*

Filioli

Filioli manete in eo (nemo autem potest manere, nisi per justificantem veram ac salvificam fidem, quæ plerophoria est, sive cordis fiducia) *ut cum patefactus fuerit, habeamus parrhesiam* (Beza vertit fiduciam, nempe quæ est effectus fiducialis formæ fidei) *ne pudefiamus coram eo in ipsius adventu: quomodo & 1. Joh. 3. 21. & cap. 4. 17. idem vertit.*

85. Hinc verò consequitur vel *πεποθήσειν* non esse reddendam fiduciam, sive confidentiã, vel non posse de effectu, salvificæ fidei hoc loco sumi fiduciam, ut distincta à fide maneat. Quare? Quia si Parrhesia, ac libertas hæc re ipsa non aliud est, quam illa ipsa fiducia, (quæ & *ἰσχυρὸς* aliquando appellatur) quæque fidei salvificæ & fiducialis plerophoriæ est consequens; qua justificati ex fide pacem habemus erga Deum in Christo, per quem etiam Fide habuimus hunc aditum in gratiam hanc, in qua stetimus & gloriamur sub spe gloriæ Dei, Rom. 5. 1. 2. sequitur *πεποθήσειν*, ex qua hæc parrhesia nascitur, & in qua habemus accessum ad Deum, non posse cum eadem esse idem, cum nihil sui ipsius possit simul esse causa & effectus.

86. Plana igitur via nobis ad interpretationem *πεποθήσεως* sternitur, quam si secundum Augustinum obstricti verbo velimus reddere, nihil aliud ex nativa sua significatione propriissimè significabit, quam persuasionem; ut sit sensus *in persuasione, quæ est per Fidem*, hoc est, non ex humanæ sapientiæ persuasoriis verbis, sed ex Dei potentia nos parrhesiã & accessum ad Deum habere in ipso.

87. Quod si ita est, ut esse necesse est, *πεποθήσειν* hoc loco tantum abest, ut sit effectus fidei, aut aliquid disseparatum à fide, ut sit proximum & verum genus, atque antecedens fidei. Accedente enim assensu non tantum mentis, sed etiam cordis & voluntatis ad persuasionem hanc divini Spiritus per Evangelium, necessario constituitur ipsa differentia salvificæ fidei, seu plerophoria illa, per quam solam habemus libertatem & accessum ad Deum: quæ nomine *Ἀγαπήνωσ̄ persuasio* (quæ est) *per Fidem ipsius* hoc loco dicitur, ut intelligamus non esse persuasionem humanam, sed divinam, ex apodixi Spiritus, ut dictum est, 1. Cor. 2. 4.

D 88. Ne-

88. Neque hoc solo loco persuasio fidei tribuitur, ut genus, sed in Scripturis sæpè: quamvis persuasio etiam latius pateat, & ad alias res transferatur. Paulus ipse disertis verbis, 2. Cor. 5. 10. postquam nos omnes sisti oportere dixit coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter ad id, quod fecerit vel bonum vel malum, Legis & Judicii terrori opponit fidem, dicens: *Scientes igitur terrorem illum Domini, πειθόμενοι ὑμῖν ὡς πῶς, persuademus hominibus*, sive ut Beza vertit, *Homines ad Fidem adducimus*, ubi nemo non videt fidei genus esse persuasionem verbi per Spiritum: quomodo & Agrippa Act. 26. 28. *In parvo* (inquit) *με πείθεις, mihi persuades, ut fiam Christianus*; quomodo & alibi sæpè.

89. Valeat igitur magnus Apostatarum ille Goliath, hoc est, Archi-
postata Pistorius, qui in tercentum suis de Justificatione thesibus non solum *πρὸς θεοῦ* fidem, aut fidei essentialè partem, non esse nugacissimè nugatur, sed etiam Sophisticissimè Scripturæ dicta allegat, & tatum non sciens, volens totam hanc doctrinam non sine multorum pernicie sceleratissimè corrumpit.

Errata sic corrige.

Thef. 1. l. 5. post sperandarum, lege (supple rerum) 36. 9. promamans; pro manans. 40. 7. &c. & alibi sæpè. 43. 3. Chimera.



Ad Or.



Ad ornatissimum Dn. Respondentem,

RODOLPHI GOELENII SE-
NIORIS, PHILOSOPHIÆ IN ACA-
demia Marpurgensi Antecessoris,
Epigramma.

VERA fides sola est cœlestis janua vitæ:
Tuta, & firma anima est anchora vera fides.
Hac potis est omnes dubitantum frangere fluctus,
Ut portum possit tangere nostra ratis.
Non hac notitia est, non est assensio tantum,
Qualis non dubie convenit historiæ:
Certa sed in stabili fixa est fiducia corde
Non nisi justificans, fructificansq; fides,
Et menti juncta est Christum amplexata voluntas
Viridior Sancto Flamme mota Dei.
Hæc audet Patrem cœlestem accedere, Christi
Unius merito, & freta patrocinio.
Hæc, & congenera his, quando duce & auspice nostro
Differis EGLINO, præmia certa feres.
Musarum fautor te Princeps provehet OTTO,
MAVRITIO ut possis gratior esse Patri.

F I N I S.



